



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

197. An Vicarius litteras Apostolicas exequi possit mortuo suo Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

*Apost. p. 2. c. 3. n. 19.* quod delegatus Papæ ubique jurisdictionem exercere potest, nec egeat territorio; sed habeat territorium generale, quia delegatus Papæ Papam representat.

*Questio 197. An Vicarius Episcopi literas Apostolicas exequi possit mortuo Episcopo?*

**R** Esp. Literas expeditas & directas Vicario vivente Episcopo, Vicarius expedire non poterit; si prius post mortem Episcopi præsentata sibi fuerint; aut si præsentata quidem fuerint vivente Episcopo, necdum tamen eo vivente executæ; quia per mortem Episcopi jam desinit esse Vicarius, & officium ejus expiravit: neque etiam Vicarius Capitularis eas exequi, aut executionem jam captam perficere poterit; quia ipsi non sunt directæ, nec etiam dirigi solent à cancellaria Vicario Capitulari. Expectandus proinde erit novus Vicarius Episcopi sede iterum plenâ, vel super dictis literis petenda nova commissio, quæ vocatur mutatio Judicis, quâ committitur Ordinario viciniore, ut dictas literas exequatur servata forma literarum expeditarum. *Rosa. l. c. p. 1. c. 3. n. 3.* citans *Corrad. in prax. dispens. l. 7. c. 4. n. 22.* Proceditque id ipsum, etiam si Vicarius Episcopi, cui directæ fuerint literæ, crearetur Vicarius Capituli sede vacante, ut eas exequi nequeat. *Rosa. l. c. n. 31.* citatis *Corrad. ubi ante. n. 11.* *Garc. p. 6. c. 2. n. 40. 41. & 44.* contra *Sanch. de matrim. l. 8. d. 27. n. 12.* ex eodem jam tacto principio; quia tunc non est Vicarius Episcopi, cui directæ sunt literæ, sed Capituli, cui literæ à cancellaria dirigi non solent; uti nec ex stylo dirigi solent Vicariis Prælatorum inferiorum, ut *Rosa l. c. n. 36* quem vide. Et hic stylus potius attendendus, ut inquit *Rosa*, quam opinio contraria AA.

**2.** Quod autem literæ directæ Vicario, eo remoto, sive per expirationem officii, sive per mortem naturalem, executioni dari possint ab ejus successore, sive re adhuc integrâ, sive non amplius integrâ; quia earum executio demandata est non personæ sed tribunalî & intuitu officij, tradit *Idem Rosa l. c. n. 29.* citatis *Garc. ubi ante. n. 54.* *Corrad. n. 36.* *Parif. de resign. l. 1. q. 11. n. 17.* *Sbroz. l. 2. q. 67.* *Gambar. de off. legat. l. 8. q. 97.* *Capra conf. 67. n. 32.* *Abb. & Canonistis in c. quoniam de offic. delegat.* Neque his obstat, quod obmovent aliqui apud *Rosam. l. c. p. 2. c. 7. n. 49.* nempe delegationem factam dignitati transire in successorem, quando dignitas est per se subsistens, secus, si accessoria & dependens ab alio, ut contingit in Vicario Episcopi. Nam, ut ait *Rosa. ibidem. n. 50.* licet forte de juris subtilitate sic dicendum sit, secundum tamen stylum & observantiam omnium tribunalium Ecclesiasticorum delegationem factam Vicario transire in ejus successorem; citatque pro hoc præter citatos supra *Monet. de commut. ult. volunt. c. 8. n. 148.* quin & *Sanch. l. c. n. 10.* *Pax Jord. &c.*

PARAGRAPHUS XI.

De potestate Vicarii circa subdelegandum.

*Questio 198. An Vicarius Generalis Episcopi alium Vicarium constituere possit.*

**R** Esp. Non posse eum absolute loquendo officium suum alteri committere, seu alium sibi similem seu generalem Vicarium constituere, argumento. *c. Clericos. de offic. Vicar. Laym. in c. Romana. de off. Vicar. in 6. n. 10.* *Pirh. tit. eod. n. 63.* *Barbos. de potest.*

*Episc. alleg. 54. n. 99.* *Pax Jord. l. 12. tit. 1. n. 202.* *Ventrigl. Tom. 2. annot. 14. §. 1. n. 36.* *Garc. p. 5. n. 8. n. 148.* *Sbroz. l. 2. q. 66. n. 1.* citans pro hac communi sententia innumeram turmam AA. & n. 12. idiplum extendens ad Vicarium generalem Capituli sede vacante. Nullus enim inferior Principe Vicarium ita constituere potest, ut totum officium suum seu potestatem ordinariam (qualem habet Vicarius generalis Episcopi) ei committat, nisi id à Lege aut Principis beneficio ei concessum sit. *Pirh. Laym. LL. cit. juxta Auth. ut nulli Judicium liceat. collat. 9. nov. 134.* & *Auth. de collatorib. §. ad hæc prohibemus. collat. 9. nov. 118.* Quare, ut *Laym.* nec ipse Episcopus officium suum ordinarium alteri committere possit, nisi id ei à Lege concessum.

**2.** Sed neque adhuc id potest Vicarius generalis e x simplici solum mandato speciali, quod haberet ad substituendum. *Sbroz. l. c. n. 11.* citans *Holt. in c. 1. de offic. Vicar. in 6. & ibid. Gemin. n. 11.* *Put. decs. 68. n. 1.* *Milis in repertor. v. Vicarius Episc. Parif. conf. 80. n. 15.* qui dicat esse communem. Veruntamen id potest, ubi in mandato inserta essent hæc verba: *Damus potestatem substituendi alium, quem nos Vicarium cum eadem potestate substituimus: Pirh. l. c. Laym. l. c. n. 12.* *Sbroz. l. c. n. 15.* *Garc. l. c. n. 155.* citantes *Rebuff. in pr. benef. tit. form. Vicar. n. 77.* *Melill. tr. de precedent. Vicar. c. 1. n. 14.* *Pavin. de potest. capit. sed vac. q. 10. n. 20.* In illo siquidem casu Vicarius ille non tam constituitur à Vicario quam ab ipso Episcopo, & ab eo accipit potestatem ministerio Vicarij substituente, & sola nominatio sui electio personæ fit à Vicario substituente. *Sbroz. Pirh. Laym. Garc. LL. cit. quorum posterior n. 156.* ait, idem esse, dum Episcopus daret potestatem substituendi suo nomine; utpote qui tunc etiam censetur positus ab Episcopo; cum ejus nomine substituatur. Neque etiam in his casibus dici potest, Episcopum dare Vicarium incertum contra *c. ad hæc. de rescrip. ait Garc. n. 157.* eò quod per substitutionem vel nominationem Vicarij substituente, qui representat personam Episcopi in substituendo, certificetur. Unde jam etiam in hoc casu Vicario vi dictæ clausulæ substituente sibi Vicarium, hunc posse Vicario substituente conferre beneficium docent *Rebuff. Coraf. Duaren. Sbroz. apud Garciam l. c. n. 158.*

**3.** Potest nihilominus Vicarius generalis Episcopi ob causam necessitatis, v. g. propter absentiam vel infirmitatem ad breve tempus sibi alium substituere, qui Vicarij munere cum simili jurisdictione interim fungatur (qui tunc haberet potestatem exequendi omnia concessa Vicario, ut *Ventrigl. l. c.* ac etiam potest capta per illum perficere. *Sbroz. l. 4. q. 67.*) argumento *c. 1. de offic. Vicar. in 6.* *Pirh. l. c. Laym. l. c. n. 11.* *Garc. n. 152.* *Sbroz. cit. q. 66. n. 17.* *Pax Jord. n. 204.* Num verò in hoc casu requiratur nihilominus speciale mandatum Episcopi, non conveniunt auctores. Affirmat id expresse *Ventrigl. l. c.* *Sbroz. cit. n. 17.* Item *Hoftiens. Franc. Dominic. Zerol. apud Garciam cit. n. 152.* vel saltem consuetudinem id faciendi, quali tunc toleretur per quandam voluntatem Episcopi, ut *Rosell. & alij apud Garc.* E contra posse id Vicarium ex causa, etsi non habeat ad id specialem facultatem seu mandatum, tenent *Pax Jord. cit. n. 204.* *Barbos. l. c. n. 100.* *Garc. cit. n. 152.* citans *Pavin. q. 10 n. 21.* *Put. decif. 168. l. 1.* *Felin. in c. 5. perpetuus. de fide instrum. n. 3.* *Marant. in specul. Advocat. p. 4. dist. 5. n. 22.* *Cuch. l. 12. tit. 8. n. 10.* *Azevedo Genueni, &c.*

*Questio 199. Num Vicarius generalis constituere possit delegatum.*

**R** Esp. Primo in genere affirmative. *Sbroz. cit. q. 66. n. 22.* ubi ait: *Ubi Vicarius vellet committere*

*alium*